



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

313. Propter quid necessaria sit absentium vocatio, & an quandoque cesset necessitas illa vocandi absentes de ceterò habiles, & sine magno incommodo vocabiles.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



dultum. de reg. juris in 6. hinc majore parte tunc recedendo decernente, non esse tunc eligendum; sed tempus aliud expectandum, non potest pars minor progredi ad electionem; cum major pars veniens recedendo non fiat contumax; quia jus habet ad differendam electionem intra terminum à jure statutum; adeoque ipso facto, seu abeundo protestans, se nolle tunc & ibi eligere, potest juxta c. 1. de his, quæ fiunt à majore parte cap. cogere ad differendam electionem, ita ut, si hæc pergat eligere, eligat inaniter. Abb. loc. cit. & ex eo Pass. loc. cit. contra Samuel. tr. 1. d. 2. controv. 6. num. 7. Verumque hoc ipsum est, etiam si citatio facta ab ipsa universitate, hoc est, majore parte universitatis collegialiter congregata, extra quam congregationem nulla unquam pars universitatis citat validè. Pass. nu. 109. Etiam non obstante, quòd eadem pars major prius approbaverit tempus & horam pro electione tum habenda; quia talem approbationem potest revocare ante electionem; cum approbatio ista sit veluti decretum interlocutorium, quod revocari potest. Pass. num. 105. Porro dum dicitur, recedentes, seu non perseverantes habere se ac non venientes. c. 1. de jud. c. certum. 11. q. 3. Abb. in c. cum nobis, h. t. num. 10. Verum id est de recedente minore parte, majore remanente, seu de iis, qui non habent jus recedendi, quale jus habet major pars electorum, et si eadem pars major jus non habeat non veniendi. Pass. num. 108.

*Questio 312. Qualiter vocales sint vocandi?*

1. Respondeo primò: absentes personaliter sunt citandi, si sciatur, ubi degant, & si id comòdè, & sine periculo fieri possit. c. cum olim. de dolo & contumacia. Gl. ibi. v. Hibernia. Barb. lib. 1. juris Eccl. c. 19. n. 90. Pass. cit. c. 11. nu. 41. Attendenda tamen in hoc consuetudo. Gl. in c. coram. h. t. Mirrondo ad eos litteras vel nuncium, c. cum inter. h. t. Barb. loc. cit. num. 9. Cast. de elect. c. 8. num. 1. qui, uti & Labor. & Sigism. apud Pass. num. 43. harum literarum formam exprimunt.

2. Respondeo secundò: si autem nesciatur, ubi degat vocalis, & adhibita diligentia inveniri nequeat, citatio facienda est in ejus domo. c. venerabilis. de dolo & contum. Labor. tit. 4. c. 17. num. 10. vel si non habet domicilium certum, in loco seu Ecclesia illius loci, ubi habitare consuevit. cit. c. venerabilis. Pass. num. 48. vel in beneficio, quia ibi residentiam facere præsumitur. Gonz. ad reg. 8. gl. 15. n. 30. Vel, si nec talem locum certum habet, citandus est in Capitulo coram Clero, vel in conventu in publica mensa, vel ad valvas Ecclesie, in qua fit electio, alias servanda regula: impediens ne citetur, habeatur pro citato. Pass. loc. cit.

3. Respondeo tertio: citandi sunt absentes ad certam diem, non tamen de necessitate (et si id melius, Sigism. à Bon. dub. 8. num. 3.) ad certam horam. Sigism. ibid. Abb. ad cap. consult. de off. deleg. quia dum hora est de consuetudine actus, expressio diei est expressio horæ, Pass. n. 44. Hinc Electores non possunt anticipare horam consuetam; imò, cum hora consueta habeat suam latitudinem, tenentur Electores expectare absentem usque ad extremam partem dictæ horæ. Peyr. tom. 3. de priv. c. 13. n. 17. Pass. num. 45. Cast. c. 8. n. 11. & 15.

4. Respondeo quarto: præsentem sufficit citare voce, vel campana, Abb. in c. coram. h. t. num. 1. Cast. loc. cit. modò constet Electoribus, quòd tali

pulsatione ex commissione præsidis vocentur ad electionem. Pass. nu. 49. Idem dicendum de commorantibus extra domum electionis in civitate vel hortis, modò campanam audire possunt; quia & hi habentur præsentem. Cast. loc. cit. Pass. num. 51. Quòd si ad talem compulsionem non omnes præsentem in domo vel civitate compareant in loco Capituli, non tenentur expectare reliqui, quamvis utilius dicat Cast. per nuncium eos admonere; multòque magis id tutius esse respectu commorantium extra domum electionis in civitate: Porro si electores omnes, et si per accidens, & ob aliam causam sint congregati, possunt nullà precedente citatione eligere. Pass. num. 52.

*Questio 313. Propter quid necessaria sit absentium vocatio, & num quandoque cesset necessitas illa vocandi absentes, de cetero habiles, & sine magno incommodo vocabiles?*

1. Respondeo ad primum: finem necessariae hujus citationis, saltem proximum, non esse citationem contemptis, ut vult Barb. juris Eccl. l. 1. c. 19. num. 116. (cum et si per non citationem absentium non fieret injuria, adeoque hic pueri non possent de contemptu, adhuc ea esset necessaria) sed ut absens sciat mortem Prælati, & diem futuræ electionis, ita ut horum ignorantiam obtendere nequeat, uti possent non citatus, et si hæc aliunde sciret. Pass. num. 55. quamvis tamen idem num. 66. teneat, & probet, citetque etiam pro eo Abb. in c. cum Ecclesia. h. t. contra Burrio, quòd si Electoribus præsentibus constet, absentem revera scire determinatè locum & diem certam electionis, non esse necesse eum citare, & si non citatus agat de contemptu, si probetur, quòd fuerit conscius diei & loci electionis, hæc ad ejus instantiam non est cassanda. Abb. in c. cum inter. h. t. num. 10. Biax p. 3. c. 10. num. 3. quibus inhære videtur Pass. num. 55. hinc

2. Respondeo ad secundum primò, non esse necesse citare ad electionem Electorem absentem, cui constat de veritate Ecclesie, dum dies electionis est à jure vel consuetudine determinata; dum enim terminus interpellat, non est necessaria citatio. Peyr. tom. 3. c. 13. num. 13. Raggius cent. 2. dub. 156. num. 3. Pass. num. 67. citans Abb. Bur. Anchar. in c. cum nobis. h. t. & c. Sed neque tunc opus est, (quamvis sit ad majorem cautelam) ipsum Præsidem monere (ut alias possunt electores. Innoc. in c. cum nobis. num. 5. ibid. Anchar. num. 4.) ut statuto die veniat ad eligendum. Peyr. loc. cit. ita etiam, ut si ex gratia vocatus præses, si non ad sit statuto die, possint Electores alii ad electionem procedere. Innoc. Abb. Anch. l. cit. Biax. p. 3. c. 15. Circa quod ultimum tamen observandum monet Pass. num. 69. quòd, cum Præses, utpote iudex, ad cuius justum arbitrium electio est dirigenda, ex causâ mutare adhuc potest horam aliâ consuetam; quin & Electores alios impedire, ne citius eligant intra tempus à lege statutum, si datur justa causâ eam differendi (dum alias hæc justâ causâ non datâ major pars electorū possit Præsidem compellere ad tempus illud à lege statutum abbreviandum) tunc solum possunt procedere ad electionem, præside citato non veniente, vel à Capitulo recedente, quando adest ultima hora, quâ elapsâ expirat tempus eligendi, & devolvitur provisiò ad Superiorem. Alias autem expectandum præsidem, & monendum, ut redeat (quales citationes extrajudiciales, cum



cum non sint rigorosa tales, & monitiones posse fieri, etiam ab inferioribus, recte tenet Abb. *ad c. 1. de suppl. negl. prel. num. 1.* ita etiam, ut, si monitus sine justa causa, nolit redire, possint procedere sine illo ad electionem. Neque opus est trinâ monitione, ubi præses primâ vice monitus expressè negat agere id, ad quod monetur, sed solum ubi id expressè non negat. Bald. *ad c. 1. de suppl. negl.* Porro in dubio voluntati præsidis est standum; quia in dubio præsumi debet pro Superiore, quod justè præcipiat & agat. Pass. *num. 70.*

3. Secundò non esse amplius vocandum illum, qui interfuit assignationi diei, & postea recessit, quia sufficienter, & ita ei constitit dies, ut ignorantiam obtendere nequeat. Abb. *loc. cit.* Labor. *cit. c. 17. num. 9.* Pass. *num. 57.* Item illum, qui vocatus ad designandam diem electionis, legitime non impeditus non comparuit; cum is ignoret diem electionis, quia illam scire noluit. Abb. *loc. cit.* & in *c. Ecclesia vestra. h. t. ibid.* Innoc. Pass. *num. 88.*

4. Econtra, qui instante electione, non determinatâ tamen adhuc die electionis, recederet, etiam sine protestatione aliqua, citandus adhuc est, & monendus pro certa die. Verùmque id est, etiam si præses electionis talem abeuntem moneret, ne recederet, aliâ eum non vocandum amplius; quia non potest Elector præteritâ futurâ electionis incerta impediri, ne sua negotia agat, præsertim si permanenter, & propter officium alibi habet domicilium. Pass. *num. 60.* contra Cast. *de elect. c. 8. num. 15.* Non tamen opus esset citatione novâ, si præses recedenti intimaret & determinaret breve tempus, intra quod futura esset electio, & intra quod recedens non posset commodè deudò vocari. Pass. *ibid.* Item est vocandus deudò, qui ad certam diem, pro qua indicta electio, comparuit, eadem dein ex rationabili causa prorogata ad diem aliam incertam, recessit; secus tamen est, si recessit ante deliberationem, quam scivit tunc habendam de certa die statuenda. Pass. *num. 61. & 62.* Item vocandi sunt deudò, qui, dum ob non consensum electi habenda est (intellige in continenti) nova electio, intra tempus, quo expectatur consensus, huc illucque recesserunt. Sigism. *dub. 11. num. 5.* Pass. *num. 63.* Nova enim ista electio consecutivè se habet ad primam, ad quam citati fuerunt, scireque debet unusquisque Electorum, quòd ubi electus non eonsentit, nova electio non sit differenda. Pass. *ibid.* Idem est de iis, qui dum in prima electione nullus eligeretur, Capitulo electionis nondum soluto, recesserunt; censentur enim & tales nolle interesse electioni; nec juvat, quòd dicant, se necesse, quòd iterum tunc procederetur ad electionem, cum eorum inconsideratio voluntaria, & negligens (scire enim potuerunt & debuerunt, quòd Electores congregati in Capitulo ad eligendum, possint sapius procedere ad actum electionis, si opus est, donec tandem evadat aliquis legitime electus) non obligat Collegium ad illos iterum admonendos & citandos. Pass. *num. 65.*

*Questio 314. An electio facta non vocatis omnibus vocandis sit ipso jure nulla?*

**R**espondeo: si tot ex vocandis vocati non sint, ut actu præsentis conficere nequeant illum suffragiorum numerum, qui juxta leges vel consuetudine necessarius est, ut quis evadat electus, electio facta ab istis præsentibus tantum est ipso jure irrita;

non quia contempti seu non vocati sunt aliqui, vel etiam major pars (vocatio enim Electorum non est de substantia electionis, etsi ejus ommissio sit injuriosa, seu contra jus, quod habet vocalis, ut interfit electioni, Pass. *num. 118.*) sed quia ab his omnibus electus caruit numero votorum (quæ computanda sunt respectivè ad omnes habentes jus eligendi, adeoque & ad absentes non vocando contemptos; Non enim injuria his facta debet cedere in favorem electi, ut vel hinc, seu ex hac commissa injuria ei jam sufficiat minor suffragiorum numerus; cum hoc modo magnis fraudibus aperiretur via. Abb. *in c. in Genesi. h. t.* quem fusè verbòrenus citat, & sequitur cum pluribus aliis mox referendis Pass. *num. 112.*) necessariorum ad electionem: uti id declarat exemplo: numerus electorum vocandorum est, v. g. 30. ex his solum vocati sunt 19. qui etsi omnes consentiant in unum, hic adhuc non evadet electus, ubi ad electionem requiruntur duæ tertiæ, seu duæ partes ex tribus, & in præenti exemplo sunt 20. vel vocati sunt solum 15. ab his omnibus nominatus non evadet electus, ubi solum (uti de jure communi canonico statutum) requiritur major pars votorum ultra medietatem, quæ in præente est 16. Ita præter Abb. *loc. cit.* & in *cap. quia propter. num. 12.* & in *c. bona. h. t. Barb. num. 1. & 3.* & Bald. *num. 4.* Menoch. *conf. 67. num. 31.* Sigism. *dub. 9. num. 2.* Tamb. *tr. 1. d. 5. q. 3. num. 2.* Peyr. *in subd. q. 1. c. 31.* & alii citati à Pass. *num. 118.*

*Questio 315. An, & qualiter vocandus non vocatus habeat jus agendi de contemptu sui?*

**R**espondeo: potest agere de contemptu, & ad ejus instantiam electio de cætero valida cassari debet. *cap. quòd sicut. de elect. ibidem.* Abb. *num. 3.* Bald. *num. 1.* Barb. *num. 5.* Tusc. *lit. C. concl. 967.* Pass. *num. 119.* citans Labor. Cast. Sigism. &c. Ita etiam, ut juxta Bald. *in c. in Genesi.* Labor. *loc. cit.* & alios apud Pass. *num. 122.* si, dum agitur causa contemptus, vel etiam ante, moriatur, qui contemptus est, is qui in locum mortui subrogatur, possit causam contemptus profèqui, vel etiam electionem ratam habere.

2. Nihilominus contempto electionem illam ratam habente ea cassari non potest, *cit. c. quòd sicut.* AA. *iidem.* Item illo tacente nullus alius agere potest pro cassatione illius, & nequidem ipse Judex eam cassare. Abb. *in c. in Genesi. num. 10.* Barbos. *l. 1. de jure Eccl. c. 19. num. 118.* & alii passim contra Gl. *in cit. cap. in Genesi.* licet enim jus eligendi sit publicum, ut tamen est subjectivè in hoc vel illo electore, est privatum, adeoque injuria, quæ fit non vocando hunc vel illum electorem, fit personæ, & violatur jus, prout est hujus vel illius personæ. Pass. *num. 120.* Item contemptus non est audiendus, nisi debito tempore inter, scilicet ante confirmationem. *c. fin. de elect. in 6.* Abb. *c. quòd sicut. & ad cap. in Genesi. num. 10.* Biax. *p. 3. c. 7.* Labor. *c. 17. num. 14.* Sigism. *d. 9. num. 4.* Pass. *num. 121.* nisi ubi constet, eum ignorasse factam electionem, & confirmationem; tunc enim & post confirmationem audiri debet. AA. *iidem.* uti &, si non tam sit confirmatio, quàm institutio, & provisio; de quo vide Pass. *num. 123.*

\*\*

Qua-